

TRACTATUS V.

DE PECCATIS

S. Alf. lib. 5. H. A. tr. 3.

Materia tractanda est: 1^o notio peccati, 2^o distinctio peccatorum, 3^o peccatum mortale et veniale, 4^o peccatum commissionis et omissionis, 5^o peccata interna, 6^o peccata capitalia.

CAPUT I.

NOTIO PECCATI

220. — **Definitio.** Peccatum est voluntaria legis divinae transgressio, seu, ut illud definit S. Augustinus (*lib. 22 contra Faustum c. 27*) est dictum vel factum vel concupitum contra legem aeternam. — Dicitur: *contra legem aeternam*, qua voce etiam comprehenditur transgressio legis humanae; nam et haec est contra legem aeternam, non immediate, sed mediate, quia lex aeterna legi humanae pareri iubet.

Divisio. Peccatum multifariam distinguitur, nempe 1^o *actuale*, est ipse actus vel omissio contra legem; *habituale*, est deordinatio remanens in anima ex peccato actuali, consistens in privatione gratiae sanctificantis: vocatur *status peccati*.

2^o *Mortale*, quod privat animam vita supernaturali, quae est gratia sanctificans, Deoque inimicam constituit; veniale, quod gratiam sanctificantem nec tollit nec minuit, sed charitatis fervorem tantum diminuit, animamque Deo minus gratam reddit.

3^o *Commissionis*, quod committitur contra praeceptum negativum, faciendo id quod vetatur; *omissionis*, quod committitur contra praeceptum affirmativum, non faciendo id quod iubetur.

4^o *Carnale*, quod perficitur in delectatione carnis, quae ex tactu corporali provenit, ut gula et praesertim luxuria; *spirituale*, quod perficitur in delectatione mentis, ut superbia, invidia, avaritia, ira, acedia.

5^o *Contra Deum*, quo violatur ordo rationis erga Deum, id quod fit in peccatis contra virtutes theologicas et contra religionem; *contra proximum*, quo violatur ordo rationis erga proximum, id quod fit in peccatis contra iustitiam et contra charitatem; *contra seipsum*, quo violatur ordo rationis pro sui ipsius gubernatione, ut fit in peccatis contra fortitudinem et temperantiam.

6° *Proprium*, quod ipsimet committimus; *alienum*, quod committunt alii nostro consilio, iussu, exemplo, omissione correptionis, aliisque modis, ita ut nobis imputandum sit.

7° *Externum*, quod verbo aut facto externo perficitur; *internum*, quod mente et corde patrat, delectatione nempe et desiderio. Aliter, peccatum *operis*, *oris*, et *cordis* seu *cogitationis*.

8° Peccatum *ex ignorantia*, quod ex culpabili ignorantia provenit; *ex infirmitate*, quod committitur impellente gravi tentatione aut vehementi passionis impetu; *ex malitia*, quod ex pravo habitu voluntatis, seu ex mera perversitate committitur.

Cum dicitur aliquis peccare ex aliquo, significatur illud esse *primam causam* peccati; e. g. in eo, qui peccat ex infirmitate, prima causa peccati non est *voluntas*, sed passio; in eo autem, qui peccat ex malitia, *voluntas* est prima causa peccati, quia ex seipso, non ex aliqua externa causa, vult malum. Ita S. Thomas. *De malo*. qu. 3. a. 12. ad 5. et 1. 2. qu. 78.

9° *Materiale*, est transgressio legis involuntaria, et ideo non imputabilis; *formale*, est transgressio voluntaria et imputabilis.

221. — *Conditiones requisitae ad peccatum formale*. Ad omne peccatum formale tria requiruntur, nempe: 1° malitia obiecti, saltem existimata, 2° advertentia rationis ad illam malitiam, et 3° liber consensus voluntatis. Ratio est, quia peccatum voluntate perficitur; actus autem voluntatis non potest ferri in incognitum aut nolitum. (n. 2 et 4.)

CAPUT II.

DISTINCTIO PECCATORUM

Concilium Tridentinum in *sess.* 14. *cap.* 5 et *can.* 7 docet in confessione declaranda esse, tum peccatorum speciem et circumstantias speciem mutant, tum eorum numerum. Quare agendum de peccatorum distinctione specifica et numerica. Quibus rite intellectis, iudicium ferri poterit de diversa gravitate peccatorum. Unde divisio capituli: art. I de distinctione specifica; art. II de distinctione numerica; art. III de comparatione peccatorum inter se.

Articulus I.

Distinctio specifica.

222. — D. Thomas eam distinctionem deducit a diversitate specifica obiectorum; Scotus ab oppositione ad virtutes; Vasquez vero ab oppositione ad praecepta. *Theoretice* praeplaceat sententia D. Thomae, nam peccata distinguuntur potius a parte *actus* qui in ipsis adest quam a parte

inordinationis quae pariter in iis invenitur. ¹⁾ Atqui actus specie distinguuntur secundum obiecta. Ergo. — Practice tamen in idem recidit, si dicas peccata secundum oppositas virtutes distingui, cum etiam virtutes distinguantur specie secundum obiecta ²⁾, et eadem sit materia circa quam virtus recte operatur et peccatum a rectitudine recedit. Quum insuper distinctio secundum virtutes oppositas facilius sit ad discernendas distinctiones specificas peccatorum, secundum eam potius principium distinctionis proponemus. De sententia Vasquezii vide infra n. 224.

Sententia D. Thomae directe respicit peccata *commissionis*. Indirecte vero etiam valet pro peccatis *omissionis*, quatenus haec specificantur secundum actus omissos, hi autem ex ipsorum obiecto. — Notes insuper obiectum hic sumi sensu lato, ita ut includat circumstantias et finem.

Principium. *Distinctio specifica peccatorum desumitur ex duplici radice:* 1° *ex oppositione ad DIVERSAS VIRTUTES;* 2° *ex DIVERSA OPPOSITIONE ad EAMDEM virtutem:* quod fit duplici modo, prout actus opponitur vel a) *modo contrario* eidem virtuti, per excessum nempe aut defectum, vel b) *diversis officiis* eiusdem virtutis. Ratio est, quia, sicut quaelibet virtus habet distinctam bonitatem, et eadem virtus diversa officia suumque medium, ita obiectum illi oppositum habet distinctam malitiam secundum singula. (n. 31. 32.)

223. — Resolutiones. I. DE PRIMA RADICE. 1° Infidelitas, desperatio, odium Dei, superstitio, opponuntur diversis virtutibus, scilicet, fidei, spei, charitati, ac religioni; idcirco specie differunt.

2° Furtum rei sacrae habet duas malitias specie distinctas; quia opponitur iustitiae, in quantum est violatio iuris alieni, et religioni, in quantum est violatio rei Deo consecratae.

3° Copula carnalis, quam persona sacra habet cum coniugata consanguinea, licet unus actus, est simul fornicatio contra castitatem, sacrilegium contra religionem, adulterium contra iustitiam, incestus contra pietatem, et scandalum contra charitatem.

II. DE SECUNDA RADICE. 1° *Ex modo contrario eidem virtuti:* prodigalitas et avaritia sunt contra liberalitatem; praesumptio et desperatio contra spem, etc.

2° *Ex diversis officiis eiusdem virtutis:* religio prohibet ne cultus Deo debitus creaturae tribuatur: huic opponitur idololatria; rursus, ne Deus vitioso cultu honoretur: cui opponitur superstitio superflui et falsi cultus; ne convicium contra ipsum proferatur: huic opponitur blasphemia, etc. Iustitia vetat ne vita proximo auferatur: huic opponitur homicidium; idem, ne fama illius laedatur: cui opponitur detractio, etc. Eadem ratione peccata incompleta seorsum sumpta specie differunt a completis, v. g. tactus specie differt a pollutione, vulneratio ab homicidio; item peccata cordis, oris et operis seorsum sumpta. ³⁾

¹⁾ 1. 2. qu. 72. a. 1. c.

²⁾ Cfr. 1. 2. qu. 72. a. 1. ad 2.

³⁾ 1. 2. qu. 72. a. 7. ad 3; 3. qu. 90. a. 3. ad 1. Cfr. etiam 2. 2. qu. 10. a. 6.

224. — *Quaeritur an et quandonam peccata specie distinguantur ex oppositione ad diversa praecepta vel leges.*

Resp. 1° Specie distinguuntur, si praecepta sunt *formaliter* diversa, i. e. a parte *materiae* praeceptae aut *finis* praeceptorum; quia tunc vel eadem virtus diverso modo vel diversae virtutes laeduntur. Unde, si quis ieiunium frangit comestione carnis et secunda refectione, committit duo peccata specie distincta; quia materia praecepti est formaliter diversa. Similiter, si quis frangit ieiunium ab Ecclesia praeceptum et simul voto sibi impositum, laedit temperantiam, ob quam Ecclesia iubet ieiunium, et religionem, ob quam Deus iubet vota servari.

2° Specie non distinguuntur, si praecepta *materialiter* tantum diversa sunt, i. e. a parte *legislatorum*; quia legislatorum diversitas nihil pertinet ad peccatorum distinctionem. (n. 33.)

Articulus II.

Distinctio numerica.

225. — Inquirendum est de distinctione seu multiplicatione numerica peccatorum, de qua sat intricata est quaestio. Difficultates ex eo oriuntur quod actus *physice plures* quandoque *unum* tantum peccatum constituent; et contra, actus *physice unus* quandoque *plura* peccata contineat. Rem quam clarissime exponere conabimur.

Multiplicatio seu distinctio numerica ducitur ex duplici radice: 1° ex *pluralitate actuum*: toties enim voluntas peccabit, quoties repetit actus peccaminosos etiam moraliter diversos; 2° ex *pluralitate obiectorum*: quoties enim obiectum moraliter multiplicatur, toties etiam peccatum multiplicatur, etiamsi actus sit unus. De utraque radice seorsum agemus.

§ I. - EX PLURALITATE ACTUUM.

226. — Distinguendum est inter actus mere internos, actus internos qui habent ordinem ad actum externum seu prava proposita et actus externos.

I. Actus mere interni moraliter diversi sunt quoties actus physice multiplicantur; nisi plures huiusmodi actus brevi intervallo ex eodem impetu passionis procedant. Ratio est, quia tales actus actu physico omnino consummantur, nec aliquid remanet quo alii actui moraliter unirentur, nec ex parte causae, nec ex parte effectus. Ratio exceptionis est, quia tunc in eadem causa moraliter connectuntur.

Hinc, circa odia, haeresim, delectationes morosas, desideria inefficacia, etc. poenitens debet explicare, si potest, quot vicibus in voluntate consenserit; quod si nequeat, eo quod pravus animus fuit diuturnus, sufficit tempus fateri, per quod in mala voluntate perseveravit, addendo utrum actus fuerint rari an frequentes in die, in hebdomade, (n. 37, H. A. n. 58.)

II. Actus interni qui habent ordinem ad actum externum seu prava proposita moraliter diversa sunt, quoties non mere physice sed etiam moraliter interrumpuntur.

Certo autem moraliter interrumpuntur: 1° per *retractationem explicitam*; 2° per *cessationem voluntariam* seu tacitam renuntiationem, v. g. si quis proposuit exire vespere ad fornicandum, et memor huius propositi domi manet.

Quaeritur autem num et quandonam actus isti etiam moraliter interrumpantur per *cessationem involuntariam*, puta per naturalem distractionem, somnum, comestionem etc. — Porro, actus isti etiam in eo casu per se interrumpuntur, nisi virtualiter connectantur. Connectuntur autem virtualiter praesertim: 1° Si ex eodem impetu passionis procedunt. Quamdiu autem impetus passionis censendus sit perseverasse, non potest una regula determinari, sed ex natura obiecti actus et ex vehementia passionis pendebit. Facile tamen idem impetus desierit post notabilem temporis lapsum; puta, ut S. Alfonsus aestimat, post duos vel tres dies, ordinarie loquendo; quia impetus passionis difficulter diutius protrahi potest. Hinc, qui in tali proposito ultra id tempus perseverat, explicare debet tempus, per quod in illo perstitit, ut numerus actuum moraliter intelligatur. — 2° Idem obtinet, si malum propositum virtualiter permanet in aliquo *effectu* conducente ad opus intentum, puta in quaerendo et adhibendo medio executionis, per quantumlibet tempus duret; quia tunc primum propositum moraliter continuatur. (n. 38-40.)

III. Actus externi moraliter etiam diversi sunt: 1° Quoties actus *completi* sunt, i. e. tales qui opus in se consummatum constituunt ita ut nullius alterius actus sint inchoatio vel pars; v. g. si quis successive plures homines occidit, pluries fornicatur, pluries se polluit, quantumvis exiguo temporis intervallo haec perpetret, plura peccata committit; quia actus in se completi et consummati inter se sunt incoibiles. — 2° Quoties actus *incompleti* neque brevi intervallo ex eodem impetu passionis procedunt neque diriguntur ad aliquod opus consummatum principaliter intentum; quia nullo nexu uniuntur.

E contrario, actus *incompleti* moraliter uniuntur: 1° Si ex eodem impetu passionis procedunt; quia veluti media tunc sunt ad exprimendam unam malam voluntatem atque ideo tamquam partes integrantes unius actus moraliter inter se iunguntur, ut v. g. in actibus verberandi, atque praesertim etiam in peccatis oris obtinere potest, ut in repetitis blasphemiiis vel conviciis. — 2° Si ad eiusdem operis consummationem diriguntur; tunc quippe actus secundarii, qui *praecedunt*, *concomitantur* et *sequuntur* actum principalem, peccata distincta non constituunt; quia tunc datur unitas materiae et unitas formae constitutivae peccati, quandoquidem datur a parte materiae ordinatio et subordinatio partium ad opus principale, et a parte actus interni unitas intentionis virtualiter perseverantis in omnibus actionibus; ideo omnes in unum opus integrum coeunt. (n. 41.)

227. — **Resolutiones.** 1° Qui hominem occidere proponit, et idcirco arma parat, viam arripit, et ipsum tandem occidit, unum peccatum committit, licet per multos dies illum quaesierit et pluries propositum iterarit. Item, qui animo fornicandi pergat ad feminam, praemittit tactus, oscula et sermones impudicos, et demum fornicatur, satisfacit confitendo: *Fornicatus sum*. Ea omnia enim sunt media ad finem attingendum. — Si vero finis de facto non attingitur, non sufficit confiteri solum pravum propositum, sed media adhibita confitenda sunt, quia haec pravi finis malitia informantur; sufficit vero ea summam declarasse, si in se indifferentia sunt; secus vero et eorum species declaranda est. (n. 40. 41. 42.)

2° Si quis ad feminam accedit animo turpes tactus dumtaxat exercendi, sed deinde, libidine incalescente, copulam perficit, duo committit peccata, nempe tactum et fornicationis; quia actus illi priores non subordinabantur copulae, quae non intendebatur. (n. 43.)

3° Actus impudici continuo sequentes copulam, sicut et complacentia de copula habita continuo eam sequens, novum peccatum non sunt, si ad novam copulam non diriguntur; quia exercentur veluti quoddam copulae complementum. (n. 41. H. A. n. 62.)

4° Unum peccatum committit sacerdos, qui uno die vult totum Officium omittere; quia totum Officium unius diei cadit sub uno praecepto. Quod si prius proposuisset tantum Matutinum cum Laudibus omittere, postea vero proponat etiam reliquas omittere Horas, duo committeret peccata; quia duo forent actus voluntatis moraliter interrupti. (*Lib. 4. n. 148.*)

5° Qui ex intentione furandi centum francos, quinque vicibus moraliter interruptis eos surripit, secundum plures unum peccatum committit; quia *ex mente furis* singula diriguntur ad unam summam complendam; quapropter singula furta partes sunt summae intentae, et furis propositum in illis semper permanet. — Secundum S. Alfonsum vero et alios quinque peccata committit; quia singuli actus habent in se consummatam malitiam. (n. 44.)

6° Qui ex eodem motu passionis pluries blasphematur, vel feminam pluries inhoneste tangit, aut tangit simul et aspicit, aut plures inimicum percutit, aut plures aliquem in eadem materia conviciatur vel ei detrahit, unum peccatum committit. (n. 41.)

7° Qui per longum tempus culpabiliter omittit rem alienam restituere, unum peccatum committit, quamdiu in eadem voluntate perseverat; quia mala voluntas virtualiter semper permanet in effectu retentionis. — Non immerito inde inferunt plures DD. peccatum retentionis rei alienae interrumpi per impotentiam restituendi. (n. 40. *Lib. 3. n. 683.*)

228. — **Quaestiones.** QUAER. 1° *Quot peccata committat sacerdos ministrans in mortali Eucharistiam pluribus.*

Resp. Ex communiore et probabiliore sententia unum tantum peccatum committit; quia una est administratio, et unum convivium ex pluribus constans convivis. (n. 50. *qu. 6. Lib. 6. n. 35.*)

QUAER. 2° *Quot peccata committat confessarius plures successive absolvens in mortali.*

Resp. Non pauci dicunt ipsum committere unum peccatum; quia est una sessio tribunalis, in qua plures causae iudicantur — At verius tot sacrilegia

committit, quot absolutiones impertitur; quia singulae absolutiones sunt distincta et completa Sacramenta, quae conficit, ideoque actus completi. (n. 50. qu. 6. Lib. 6. n. 36. qu. 5.)

§ II. - EX PLURALITATE OBIECTORUM.

229. — *Praenotandum.* Dantur obiecta physice distincta quae moraliter in unum quoddam coalescere possunt, alia vero in unum coalescere non valent. Sic diversa bona externa unius domini unum bonum fortunae constituunt; diversorum vero hominum vitae, honores, famae vel fortunae in unum coalescere nequeunt, nisi, quoad bona fortunae, haec in communi possideantur. Quaestio saepe prudenti tantum aestimatione solvi poterit. — Obiecta autem quae moraliter in unum coalescere nequeunt, vocantur obiecta totalia seu adaequata et de hisce solis hic agitur. Cfr. Marc. n. 330.

Principium. *Actus unus fit peccatum numero multiplex ob pluralitatem obiectorum totalium.* Probatum ex eo quod ista obiecta moraliter coalescere nequeunt; atque confirmatur ex analogia cum distinctione specifica; idem actus, quemadmodum potest plures malitias specie distinctas continere, eo quod plura obiecta specie diversa respiciat, ita habere potest plures malitias numero distinctas, eo quod tendat in plura numero obiecta. Id patet exemplo ab omnibus admissio: si enim coniugatus copulam habet cum coniugata, duplicem committit iniustitiam, unam quia violet ius uxoris suae, alteram quia violat ius mariti complicitis suae.

Aliqui autem principium negant, vel quia, ut aiunt, in eodem actu non possunt plures esse malitiae, cum in eodem subiecto nequeant numero plura accidentia esse; vel quia, licet in eodem actu possint plures esse malitiae, tamen iuxta Conc. Trid. tenemur quidem *peccatorum*, non autem *malitiarum* numerum explicare; peccatum autem est dictum, factum vel concupitum; horum ergo numerus est tantum declarandus. Eorum autem rationes haud placent; nam quoad priorem: non repugnat unum actum physicum esse moraliter multiplicem, quando iuxta prudentum iudicium unicus ille actus aequivalet pluribus, habita ratione ad obiecta moraliter diversa, prout patet exemplo copulae coniugati cum coniugata; et quoad alteram: posito quod malitiae plures sunt, plura quoque sunt peccata, cum peccata diversa non nisi diversae malitiae sint. (n. 45. Lib. 7. n. 28. H. A. n. 64.)

Alii auctores mediam viam ineunt docentque peccatum esse unum vel multiplex prout obiecta ab agente aut tamquam obiecta distincta aut per modum unius intenduntur. Sed intentione plura obiecta moraliter in unum coalescere nequeunt, nisi quatenus intentione sub ratione moraliter unica accipiuntur; iam vero sunt obiecta quae ita sub ratione moraliter unica accipi nequeunt, et haec praecise obiecta adaequata seu totalia dicimus.

230. — *Resolutiones.* 1° *Plura peccata committit, qui uno actu pluribus detrahit; optat ad plures feminas accedere, vel pluries ad eandem; uno actu furatur pluribus; pluribus scandalum praebet aut malum exoptat; proponit per plures dies Officium vel ieiunium omittere.* (n. 46.)

2° *Plura* committit peccata, qui intendit totam familiam infamare; quia singula familiae membra distinctum ius ad famam habent. Secus foret, si quis laederet bona, quae civitas aliqua aut monasterium possidet communiter; quia non competit ius personis particularibus, sed toti communitati tantum; quare unum ius laeditur. (n. 46.)

3s *Plura* peccata committit, qui unico actu detrahit alicui in pluribus materiis, vel unum diversis afficit contumeliis, quia diversa iura ad famam aut honorem laeduntur; eo enim quod quis diffamatus est in uno crimine, non ideo est in alio.

Advertendum tamen, mulierculas et plebeios, qui rixantes inter se eodem impetu diversis contumeliis se mutuo onerant, unum peccatum committere; quia iuxta communem aestimationem non laedunt famam et honorem, eo quod ab una parte convicia inter huiusmodi personas non apprehenduntur ut gravia, et ab altera parte audientes nullam ipsis fidem habent, dum putant illa ex irae impetu potius quam ex animo et rei veritate procedere; quapropter tales rixantes ut plurimum excusantur a mortali, nisi forte de aliquo particulari facto adversarium improperent. (n. 48.)

4° *Unum* peccatum committit, qui negat plures fidei articulos; quia unicum est obiectum formale fidei, nempe veracitas Dei revelantis; idcirco qui plures negat articulos, non magis infidelis est, quam qui negat unum. (n. 50. H. A. n. 65.)

5° *Unum* peccatum committit qui detrahit alicui coram pluribus, quia ius ad famam non est multiplex, sed unicum apud omnes est ergo dumtaxat circumstantia aggravans. (n. 49. H. A. n. 65.)

6° *Unum* peccatum committit, qui diversa mala optat inimico; quia mala illa fere optantur sub una mali ratione, nempe ut media ad inimici perniciem; quare satis est confiteri: *Exoptavi grave malum proximo*. Secus autem foret, si diversa mala *singulatim* optaret, quatenus talia sunt; vel si efficaciter proponeret diversa mala inimico inferre: cum pravum propositum speciem sumat ab opere externo, sive damno intento; tunc igitur mala optata essent distincte confitenda. (n. 50. Lib. 2. n. 30. H. A. n. 65.)

230^{bis}. — Scholion. Quaestio movetur quot sacrilegia committat sacerdos CELEBRANS MISSAM IN STATU PECCATI MORTALIS. Dissentiunt auctores. Prima sententia contendit eum unum tantum committere peccatum; quia diversae eius actiones sunt partes unum sacrificium componentes, ideoque intra Missam sunt actiones imcompletae componentes actum moraliter unum cum unico obiecto totali. Secunda sententia admittit plura sacrilegia; alii nempe admittunt duo, scil. consecrationem indignam et susceptionem indignam cum qua identificant in casu ministrationem indigno; alii tria, quatenus ministrationem indigno a susceptione indigna distinguunt; alii demum, quos S. Alfonsus sequitur, admittunt quatuor, quatenus scil. indigne consecrat, indigne communicat, ministrat indigne et indigno.

Tria saltem esse peccata patet, quia indigne consecrare, indigno ministrare et indigne communicare sunt tres actiones moraliter diversae et in se completae; et quatuor esse peccata patet ex eo quod *indigne* ministrare uti probabitur infra (tom. II. n. 12.) est peccatum mortale sacrilegii, quod hic ratione diversitatis obiecti totalis ab aliis distinguitur. Nec est dicendum omnes hos actus se habere ut partes ad totum, ideoque unum moraliter actum cum uno obiecto totali

constituere; Missae enim celebratio est quidem unum quoddam morale in sensu liturgico, non vero in sensu ethico; in hoc enim sensu singuli respectus enumerati habent malitiam completam ex diversitate actuum et ex obiectis diversis completis. Pro praxi tamen nulla oritur differentia, quum neque gravitas sacrilegii neque modus illud confitendi in diversis sententiis mutetur. (n. 44. *Lib.* 6. n. 35.)

Nota pro praxi. Hoc autem pro praxi monitum velim, confessarios non debere distinctiones, sive specificas sive numericas, nimis subtiles exquirere, quae captum poenitentium excedunt, sed obvias tantum, quas probabiliter cognitae habent. Sic v. g. in turpiloquiis multiplicatio peccatorum ex audientium numero communiter ignoratur, imo saepissime impossibile est poenitentibus hunc numerum, etiam circiter, scire. (*Lib.* 3. n. 150. *Prax. Conf.* n. 39. 40.)

Articulus III.

Comparatio peccatorum inter se.

231. — Argumentum huius articuli non est comparare *gravitatem theologiam* peccatorum, qua alia mortalia, alia venialia sunt; sed argumentum est comparare *gravitatem eorum moralem*, qua alia superioribus, alia inferioribus virtutibus opponuntur.

Principium. *Gravitas moralis peccatorum sumitur ex eorum obiecto et circumstantiis.* Sicut enim ex hisce hauriunt suam malitiam, sic etiam gradum malitiae.

Desumitur: 1^o *ex obiecto*, ex quo quidem desumitur prima et principalis differentia gravitatis; quo maiori bono virtutis opponitur, eo gravius est peccatum, nam eo maius bonum corrumpit. Hinc gravissima peccata sunt, quae immediate contra *Deum* committuntur. Inter peccata in proximum gravius est *homicidium*, quod tollit actualem hominis vitam; secundum locum tenent peccata *luxuriae*, quae sunt contra vitam hominis in potentia; tertium locum tenent peccata, quibus proximus in bonis exterioribus laeditur, ut sunt *furtum* et *rapina*. In singulis hisce generibus unum peccatum est alio gravius secundum quod est circa aliquid principalis vel minus principale.

Ad rem S. Thomas: « Cum bonum virtutis consistat *in ordinatione amoris*, ut Augustinus dicit: Deum autem super omnia diligere debeamus, peccata, quae sunt *in Deum*, sicut idololatria, blasphemia, et huiusmodi, secundum suum genus sunt reputanda *gravissima*. Inter peccata vero *in proximum* tanto aliqua sunt aliis *graviora*, quanto maiori bono proximi opponuntur. Maximum autem bonum proximi est ipsa vita hominis, cui opponitur peccatum *homicidii*, quod tollit actualem hominis vitam; et peccatum *luxuriae*, quod opponitur vitae hominis in potentia, quia est inordinatio quaedam circa actum generationis humanae. Unde inter omnia peccata, quae sunt in proximum, *gravius* est *homicidium*; secundum locum tenet *adulterium* et *fornicatio*, et huiusmodi carnalia. Tertium autem locum tenet *furtum* et *rapina*, et huiusmodi, per quae in exterioribus bonis laeditur proximus. In singulis autem horum generum sunt diversi gradus, in quibus mensuram peccati secundum genus suum oportet accipere secundum quod bonum *oppositum magis* vel minus per charitatem debet amari. » Ita in *de Malo* qu. 2. a. 10.

Quoad *peccata in Deum* ita ulterius distinguit: « Quanto id, contra quod peccatur, est maius, tanto peccatum est gravius; et quia divinitas Christi est maior humanitate ipsius, et ipsa humanitas est potior quam Sacramenta humanitatis, inde est quod gravissima peccata sunt, quae committuntur in ipsam divinitatem, sicut est peccatum infidelitatis et blasphemiae; secundo sunt gravia peccata, quae committuntur in humanitatem Christi... tertio autem loco sunt peccata, quae committuntur contra Sacramenta, quae pertinent ad humanitatem Christi. Et post haec, sunt alia peccata contra puras creaturas. » (3. qu. 80. a. 5.) — Quoad *scandalum* docet illud esse secundum se homicidio levius; quia « homicida est per se et sufficiens causa corporalis mortis, spiritualis autem mortis nullus potest esse alteri causa per se et sufficiens; quia nullus spiritualiter moritur, nisi propria voluntate peccando. » (1. 2. qu. 73. a. 8. ad 3.)

2° *Ex circumstantiis*, sive speciem mutantibus, sive aggravantibus tantum intra eandem speciem: a) *speciem mutantibus*: sic v. g. fornicatio maius peccatum est quam pellutio, quatenus peccato contra castitatem addit peccatum contra charitatem, scil. scandali; b) *aggravantibus intra eandem speciem*: sic augetur gravitas peccati ex maiori voluntate et libertate quacum peccatur, ex conditione personae in quam peccatur, vel personae ipsius peccantis, ex nocumento ex illo sequente. Haec inaequalitas tanti valet in materia morali, ut, secundum prudentem aestimationem, interdum plus conferat ad peccati augmentum morale quam ipsum obiectum.

232. — Notanda pro praxi. 1° Confessarii attendant, non solam gravitatem *obiectivam* peccatorum, sed et *subiectivam*, quanta nimirum sit ex conscientia poenitentium, utrum peccata proveniant ex ignorantia, infirmitate, an vero ex certa scientia aut malitia; sic e. g. Confessiones et Communiones sacrilegae plerumque sunt peccata infirmitatis ex verecundia, ex humano timore, et hac ratione gravitas minuitur. ¹⁾

2° In regimine animarum pluris aestiment *nocumentum* peccatorum ex sequelis, quas producunt, quam *gravitatem peccatorum secundum se*; sic, uti observat S. Thomas ²⁾, peccata spiritualia *secundum se* sunt graviora carnalibus; sed carnalia maximae sunt adhaesionis, propter adnexam delectationem. Atque inde est cur peccato luxuriae dediti tam difficulter emergant, et in maximo damnationis periculo versentur. Quapropter summae semper cautiones adhibendae sunt, ut vel ipsis principiis, ex quibus periculosissima illa pestis enasci potest, fortiter obsistatur. (Marc. *Instit. mor. n. 334.*)

CAPUT III.

PECCATUM MORTALE ET VENIALE

Trademus: 1° utriusque notionem, 2° conditiones ad utrumque requisitas, 3° quomodo peccatum mortale transeat in veniale, et vice versa.

¹⁾ 3. qu. 80. a. 5.

²⁾ 1. 2. qu. 73. a. 5.

Articulus I.

Utriusque notio.

233. — Notio. Ratio peccati *mortalis* consistit in aversione ab ultimo fine, qui Deus est, et conversione ad creaturam tamquam ad ultimum finem. Ratio peccati *venialis* consistit in conversione ad creaturam, servato ordine ultimi finis. Inde peccatum mortale est simpliciter contra legem, cum charitatem, a qua universa lex pendet, destruat; veniale vero, cum charitati non repugnet, non est contra legem nisi secundum quid. (S. Thom. 1. 2. qu. 72. a. 5.)

Divisio. I. Peccatum MORTALE distinguitur: 1° *Ex genere suo*, cuius materia per se gravem inordinationem continet, si nempe in notabili quantitate est; admittit enim parvitatem materiae, qua veniale fit.

2° *Ex toto genere suo*, quod non admittit levitatem materiae, cuius nempe materia in qualibet quantitate gravem continet inordinationem. Talia sunt v. g. haeresis, blasphemia, periurium, superstitio, simonia, contemptus formalis legis aut legislatoris, luxuria, fractio sigilli sacramentalis, aut ieiunii naturalis ante Communionem. Peccatum mortale ex toto genere suo potest tamen fieri leve ex *imperfectioe* actus.

3° *Per accidens*, quod veniale est ex genere suo, sed evadit mortale ex adiuncta circumstantia.

II. Peccatum VENIALE distinguitur: 1° *Ex genere suo*, cuius materia intra suam speciem essentialiter levis est. Talia sunt peccata contra veritatem, fidelitatem in promissis mere gratuiti, gratitudinem, liberalitatem, abstinentiam, etc.

2° *Per accidens*, quod est mortale ex genere suo, sed veniale evadit vel ex levitate materiae accidentali vel ex imperfectioe actus. (n. 52.)

233^{bis}. — Nota de imperfectioibus. A peccato veniali differt imperfectio quae definiri potest: opus aliquod cui deest non quidem perfectio debita secundum obligationem moralem, sed *perfectio quae convenit progressui spirituali*. Hoc sensu opus potest esse imperfectum aut ex genere suo aut per accidens. — Est opus imperfectum *ex genere suo* opus illud, quod non est contra legem, ne venialiter quidem, sed tantum contra id quod *de consilio* est; idest, opus, ex se honestum, sed prosequens minus bonum, et ex quo proinde sequitur omissio alicuius quod *hic et nunc* omnibus visis tali homini melius bonum esset; in ipsa hac *omissione melioris boni* imperfectio formaliter consistit. Haec omissio de se non est mala, cum non sit omissio boni debiti. Sunt tamen qui censent eam in individuo sine peccato veniali exerceri non posse, quum nullo motivo rationabili iustificetur ¹⁾; hinc secundum ipsos imperfectio de qua agimus de facto seu in individuo semper involvit peccatum veniale. Verum dicendum videtur talem omissionem, quamvis *saepe* fiat ex fine venialiter malo, tamen non *necessario* semper moraliter malam esse; praesertim quando non directe intenditur, sed mere consequitur ad prosecutionem boni minoris. Actus

¹⁾ Ita v. g. Passerini, *de hom. stat. tom. II. in 2. 2. qu. 184. a. 3. n. 43*; Hugueny apud *Dict. de Theol. cath. v.° Imperfection.*

enim minus bonum prosequens, ex obiecto et fine bonus est, nec fit malus omissione illa consequente, quippe quae est circumstantia non mala moraliter, etiamsi nullo speciali motivo iustificetur; quum sit ommissio alicuius boni quod est de consilio, et non de praecepto. — Attamen tales omissiones, si deliberate ponuntur, *disponunt* ad peccatum veniale, sicut peccatum veniale cum plena deliberatione commissum disponit ad peccatum mortale.¹⁾

Imperfectio *per accidens* habetur, si ponatur opus aliquod ex obiecto suo leviter malum, sed in quo inculpabiliter deest omnis deliberatio; vel opus aliquod bonum, sed in quo inculpabiliter deest omnis attentio. Ad primum spectant motus primo-primi, transgressionibus mere materiales praecepti ex ignorantia invincibili, actus inordinati sine deliberatione peracti in materia levissima, ita ut non teneatur homo de his omnibus deliberare; ad alterum spectant actus pietatis, sed animo involuntarie distracto peracti. Similes actiones non sunt peccata, saltem formaliter; sunt tamen imperfectiones; et quo magis homo sese profectui suo spirituali applicat, eo magis sponte sua aberunt.

Peccata venialia semi-deliberata proprie non sunt imperfectiones, sed peccata, seu potius de utroque, de peccato et de imperfectione, participant.

Articulus II.

Conditiones ad utrumque requisitae.

234. — Principia. I. *Ad PECCATUM MORTALE tria requiruntur: 1° gravitas materiae; plena advertentia intellectus ad malitiae gravitatem, confuse saltem; 3° plenus consensus voluntatis.* Rationes sunt, quia 1° dissolutio divinae amicitiae et aeternae poenae reatus, utpote res omnium gravissimae, postulant ut non pendeant ex re levi, neque ab actu humano imperfecto; 2° sicut gravis malitia obiecti nullo modo cognita, nullo modo est volita, ita non perfecte cognita non est perfecte volita; atqui peccato mortali inest perfecta malitia; ergo exposcit actum humanum perfectum. (n. 5. 53.)

II. *Ad PECCATUM VENIALE requiruntur et sufficiunt quantulumcumque actus inordinatio et mentis advertentia voluntatisque consensus.* Requiritur, quia, illis deficientibus, abest vel omnis peccati materia vel omne voluntarium: sufficiunt, quia, illis positis, conditiones ad peccatum aliquatenus adsunt.

Hinc peccatum veniale habetur, cum violatur vel praeceptum in se leve; vel praeceptum grave, sed in materia levi; vel praeceptum quidem grave ac in materia gravi, sed sine sufficiente deliberatione.

Iam de singulis conditionibus ad peccatum mortale constituendum requisitis fusius tractandum est.

235. — I. De gravitate materiae. Peccata mortalia a parte materiae dignoscuntur: 1° *Ex S. Scriptura*; peccata namque, quae ibi dicuntur Deo exosa, excludere a Regno Dei, esse digna morte, etc. mortalia sunt. — 2° *Ex definitionibus Ecclesiae*; si nempe Ecclesia aliquod peccatum decla-

¹⁾ Cfr. etiam Garrigou-Lagrange. *Perfection chrétienne et contemplation*, p. 527. *sequ.*; item apud *La Vie Spirituelle* 1926. p. [1] *sequ.*

rat mortale, aut gravibus plectit poenis. — 3^o *Ex consensu SS. Patrum aut insignium Theologorum*; quae enim illi omnes aut certe plurimi inter peccata mortalia recensent, ut talia existimanda sunt. Qui ab iis dissen- serit, in temeritatis notam incurrit. — 4^o *Ex ratione evidenti*; peccata, quae graviter laedunt charitatem Dei vel proximi, sunt ex se mortalia, ut tradit S. Thomas 1. 2. qu. 88. a. 2.

Quando autem DD. inter se dissentiunt, eo quod veritas ex praefatis fontibus clare erui nequeat, non praeceps sit confessarius in pronuntiando aliquid esse mortale peccatum; periculosum enim est, inquit S. Thomas,¹⁾ de peccato gravi ea damnare, quae gravia esse non constat; quandoquidem, si pronuntiet esse mortale et non sit, peccabit poenitens dicto non obtemperans, et exponitur damnationis periculo; nam omne, quod est contra conscientiam, aedificat ad gehennam. (n. 52.) — Idcirco S. Alfonsus statuit duas hasce regulas: « *Ut dicatur actionem aliquam non esse peccatum grave, sufficit vera probabilitas quod tale non sit, quemadmodum omnes fatentur.* » E converso: « *Ut affirmetur absolute aliquam actionem esse peccatum mortale, non sufficit opinio probabilis, nec etiam probabilior²⁾,... sed requiritur certitudo prout docent omnes.* » Eadem certitudo nempe et evidentiā, quae ad legum divinarum et humanarum obligationem postulatur. (*Lib. 3. n. 132. epist. de maled. mort. v. Adversarius in dissert.*)³⁾

236. — II. De advertentia rationis. Requiritur advertentia eaque saltem in causa actualis, plena, saltem confusa. (n. 3.)

Dicitur 1^o *advertentia*, quae *actualis* sit omnino oportet, *sive in ipso actu, sive saltem in ponenda causa eius*. Ratio, quia ubi actualis nulla umquam adfuit advertentia, nec ulla est cognitio et deest voluntarium.⁴⁾ Sufficit autem advertentia actualis *in ponenda causa actus*; quia 1^o effectus malus, sequens ex causa voluntarie posita, in qua fuit actualiter praevisus, est voluntarius et culpabilis in illa causa; consequenter inadvertentia, quae deinde effectum comitatur, a culpa non excusat, utpote voluntaria in causa; 2^o alioquin excusanda forent perditissimorum hominum flagitia; quo enim scelestiores sunt, eo graviora crimina perpetrant sine horrore et sine attentione ad eorum malitiam.

Dicitur 2^o *advertentia plena*, quae habetur quando quis mente expedita discernit; ergo non sufficit *imperfecta*, quando quis mente non plene expedita discernit utpote semisomnis, semiebrius, aut semidistractus.

¹⁾ Quodlibet. 9. a. 15.

²⁾ Nisi tamen sit certo probabilior opposita, uti constat ex *Lib. I. n. 54, 62, 83 et 88*. Haec enim epistola responsiva exarata fuit anno 1758, cum scil. S. Alfonsus systema suum nondum perfecisset. Genuinum vero systema insertum fuit primum in 6^a editione, anni 1767. Cfr. edit. Gaudé. tom. I. p. 455. nota d.

³⁾ In edit. Gaudé tom. I. pag. 455, v. Adversarius, et p. 457. Allatas regulas S. Alf. saepe repetit, puta *Lib. 1. n. 75. v. Hinc, et n. 89; Lib. 3. epist. cit. in fine, item n. 130, 547, v. Caeterum; Lib. 5. n. 52; Lib. 6. n. 604; H. A. tr. 1. n. 48, tr. 3. n. 66, tr. 5. n. 11, tr. 16. n. 118.*

⁴⁾ Ex dictis sequitur, errare rigidioris sententiae patronos, qui dicunt ad peccatum sufficere advertentiam *virtualem* seu *interpretativam*, in eo consistentem quod homo *debeat et possit* advertere sola potentia *physica et remota*, quamvis actualiter numquam adverterit. Si hoc verum foret, plurimi homines multis mortalibus culpis gravatos se invenirent in altera vita, quin circa illas ullam cognitionem umquam habuerint. (n. 4. 5. H. A. n. 24-40).

Dicitur 3^o advertentia *saltem confusa*, quae habetur quando quis dubitat aut suspicatur de gravitate vel specie peccati in actu faciendo; ergo non requiritur advertentia *distincta*, i. e. ut peccati qualitatem aut quantitatem discernat. — Unde patet advertentiam *confusam* posse simul *plenam* esse, cum quis actu intellectus plene sibi conscii suspicari possit gravem actionis malitiam. (n. 3.)

QUAERITUR, quantum peccet ille, qui facit malum, quod conscientia dicat tantum generaliter esse peccatum, quin cogitet num grave sit vel leve.

Resp. Alii putant eum peccare graviter; quia agendo sine examine de malitiae quantitate, se culpabiliter exponit proximo periculo faciendi id, quod grave malum est.

Alii communius et probabilius tenent eum tantum venialiter peccare, si revera nulla in eo consurgat de mortali peccato cogitatio aut dubitatio, quia tunc malitia gravis nullo modo advertitur et nullo modo admittitur; quod equidem supponi nequit in eiusmodi peccato externo cuius gravitas omnibus patet. Addit S. Alf. cum Elbel. n. 140: modo homo sit timoratae conscientiae, non autem de genere eorum, qui quantitatem peccatorum non curant. (lib. 1 n. 23. H. A. tr. 1. n. 13.)

Nota. CAUSAE VOLUNTARIAE INADVERTENTIAE, quae, ut dictum est, a gravi culpa non excusat, tres enumerantur; sunt autem: 1^o *Deliberata negligentia*, sive ad discenda ea, quae quis scire tenetur, sive ad adhibendam considerationem quam res agenda meretur; illi enim, qui iam advertit obligationem suam addiscendi vel considerandi agendi, et tamen vult incuriose vel praecipitanter operari, merito imputantur omnes quos committet errores.

2^o *Passio*, quam quis deliberate vult sequi; illi enim, qui secundum suam passionem operatur, merito imputabitur omnis pravus effectus cum tali passione connexus, quamvis hic speciatim non agnoscatur: quia, cum homo passionem aliquam amplexatur, consequenter admittit omnes effectus communiter ex illa provenientes, qui, etsi distincte non praevideantur, praevidentur tamen confusim.

3^o *Pravus habitus*, quem quis voluntarie fovet; actus enim mali, qui ex illo erumpunt, sunt voluntarii, saltem in causa. Dico: *saltem in causa*; quia potius dicendum peccatores habituosos vel passionibus suis deditos semper habere actualem quamdam criminum suorum cognitionem, sufficientem ad reddendos actus deliberatos et mortales; solummodo cognitio illa actualis, eo quod ipsi parvipendant peccatum, non producit in eorum animis sensibilem illam impressionem, quam producit in alio habente conscientiam minus depravatam, et ideo illius obliviscuntur, ita ut interrogati facile respondeant se non advertisse; sed cautus confessarius non debet ipsis fidem habere.

237. — III. De consensu voluntatis. Consensus voluntatis duplex distinguitur: *plenus* seu *perfectus* dicitur consensus quando actus voluntatis est omnino liber, a. v. quando sequitur omnino plenam advertentiam intellectus et procedit ex facultate volitiva in suo exercitio substantialiter libera ab impedimentis vel impulsibus psychicis irresistibilibus; *imperfectus* vero est consensus si fuerit sine sufficienti deliberatione vel procedit ex facultate volitiva in suo exercitio non substantialiter libera a talibus impedimentis vel impulsibus. Iamvero ad peccatum mortale requiritur consensus

plenus, nec sufficit imperfectus, nam perfecta malitia exposcit actum humanum perfectum.

QUAERITUR, *an peccet graviter, qui post plenam rationis advertentiam NEGATIVE tantum se habet ad motum appetitus sensitivi circa obiectum graviter malum, i. e. nec positive consentit nec positive resistit.*

Ut haec plenius intelligantur, observandum, *tentationem* ad peccatum ordinarie hoc modo procedere: 1° fit imaginatio rei delectabilis in phantasia, et consequitur motus in appetitu sensitivo, qui in se peccatum non est; dein 2° intellectus illam advertit, prius ut est res delectabilis, deinde ut mala est; postremo 3° voluntas circa illam sic cognitam triplici modo se habere potest: a) positive consentiendo illi, sive operi ipsi, sive delectationi tantum; b) positive resistendo; c) non consentiendo, nec resistendo, sed tantum negative se habendo.

Resp. Dist. Negat., quando abest proximum consensus periculum: sed tunc peccatum veniale est, si positiva resistantia facile fieri possit. Etenim, a) non est mortale; tum quia motus naturalis secundum se, sine consensu, non est peccatum; ergo gravi obligationi vitandi peccatum mortale satisfacit homo simpliciter non consentiendo tentationi; tum quia impossibile est omnes motus inordinatos collective sumptos positive repellere. Ita S. Thomas et alii. b) Veniale est, quatenus aliquod periculum existit, ut supponitur. — *Affirm., quando subest periculum proximum consensus:* quia unusquisque tenetur a se arcere proximum peccandi periculum, idque in hoc casu fieri alio modo nequit, nisi positive resistendo, saltem per actum displicentiae.

Propterea gravis est obligatio positive resistendi motibus venereis, quando *vehementes* sunt; quia cum valde alliciant, plerumque trahunt secum consensum voluntatis, si positive non repellantur, saltem per actum simplicis displicentiae. Posito autem hoc actu displicentiae vel firmo proposito non consentiendi, potest homo ob iustam causam negative se habere, v. g. 1° si expertus est per resistantiam motus augeri; quod saepe fit in meticulosis; 2° si motus oriuntur ex actione necessaria vel utili, v. g. ex auditione confessionum, ex lectione rerum turpium scitu utilium, ex tactu necessario, etc.; quia non tenetur propter motus involuntarios opus relinquere; 3° si nimis molestum foret iugiter positive resistere, uti esset quando tentatio diu durat. Satis tunc erit operam dare ne consentiat; haec ipsa diligentia erit sufficiens reluctatio. (n. 6. 7. 9. H. A. n. 41. 42. 44.)

Nota pro praxi. Saepe obtinet ut DUBITETUR an adfuerit perfectus consensus. Tale dubium ordinarie ope praesumptionis resolvendum est. Unde ille, qui timoratae conscientiae est, et tentationi, postquam eam perfecte advertit, resistere solet, certo praesumendus est non plene consensisse; ad quod praesumendum prosunt haec indicia: 1° si habitualiter serium et saepe repetitum propositum habeat numquam peccandi mortaliter; 2° si clarius advertens tentationem territus fuerit, et illico eam repulerit, statimque dubitaverit an consenserit; 3° si meminert se timide processisse; 4° si ita dispositus fuerit, ut, licet facile potuisset peccatum exsequi, non tamen sit exsecutus; 5° si nesciat utrum semisomnis an vigilans aliquid egerit aut cogitaverit; si enim plena fuisset deliberatio, se exsomnia fuisse sciret. — E contrario, assuetus in peccata mortalia facile prolabi, praesumendus est consensisse; si enim obstitisset, utique recordaretur conatus adhibiti ad tentationem repellendam. (n. 55. Lib. 6. n. 476.)

Articulus III.

Quomodo peccatum mortale evadit veniale, et vice versa.

238. — Principia. I. *Peccato ex suo genere mortale EVADIT VENIALE ex triplici causa: 1° ex errore conscientiae invincibili; 2° ex imperfectione actus, nimirum ex imperfecta advertentia aut imperfecto consensu; 3° ex materiae parvitate, ubi haec datur. (n. 54-56.)*

II. *Peccatum ex genere suo veniale FIT MORTALE vel ex errore conscientiae, vel ex circumstantiis graviter malis, scilicet ex fine, contemptu, scandalo, aut periculo.*

Igitur: 1° *ex fine mortaliter malo, fine sive adiuncto, v. g. si quis habet colloquium leviter inhonestum cum puella ad seducendam illam, ut in fornicationem assentiat: — sive ultimo constituto, quando nempe quis ita adhaeret peccato cuidam veniali, ut actualiter paratus sit transgredi praeceptum grave potius quam ab illo abstinere, v. g. si quis est ita ludo addictus, ut paratus sit omittere Sacrum die festo potius quam ludum. Dico: actualiter paratus, i. e. quod reapse sic apud se statuat; quia, si esset tantum habitualis dispositio, non peccaret mortaliter; peccatum enim requirit actum.*

2° *Ex contemptu formali legis aut Superioris; quando quis ideo praeceptum in re levi transgreditur quia contemnit ipsam auctoritatem. — Et contra materialis tantum est contemptus, quando contemnitur vel res praecepta, quia videtur esse exigui momenti, etiamsi frequenter peccatum iteretur: vel superioris persona, quatenus homo est et defectibus obnoxius, puta quia indoctus, imprudens etc. Unde inter fideles raro contingit peccatum mortale ex contemptu. (n. 142. Lib. 4. n. 161. qu. 3. quarta sent. H. A. n. 14.)*

3° *Ex scandalo: quando praevideatur peccatum veniale cessurum in grave scandalum proximi, v. g. si, furando rem parvi momenti a Petro, praevideas illum in blasphemias erupturum.*

4° *Ex periculo proximo labendi in peccatum mortale, v. g. cum quis frequenter solet peccare delectatione venerea, dum ex mera curiositate, quae de se est tantum venialis, intuetur talem feminam. (n. 59-63.) Cfr. tractatum de Poenitentia, infra tom. II. n. 473.*

239. — Quaestiones. QUAER. 1° *An multitudo peccatorum venialium constituere possit peccatum mortale.*

Resp. Dist. Negat. per se, i. e. ratione solius multitudinis; quia sola multiplicatio entium unius speciei numquam potest ex se sola illam multitudinem in aliam speciem transferre.

Affirm. per accidens, ratione nempe materiae coalescentis; quia tunc unam materiam gravem efficiunt, ut praesertim in materia iustitiae contingit.

Hinc v. g. qui per totam Quadragesimam quotidie modicum extra refectionis tempus sumit, numquam peccat mortaliter; secus vero, si pluries id faceret eodem die. Qui vovit in annum singulis aut certis diebus opus bonum de se exiguum, tamquam onus unicuique diei affixum, etsi toto anno illud omittat, non peccat mortaliter: secus esset, si quis talia vovisset ad modum unius, puta cum intentione omissum uno die supplendi alio die, aut si quis una intentione vovisset dare pauperibus 300 francos, singulis diebus unum erogandum.

Illud porro observandum, multitudinem venialium *disponere* ad mortale, ut nimis notum est ex Scriptura et experientia: « Qui spernit modica, paulatim decidet, » inquit Eccli. XIX. 1. Ratio est, quia ex repetitis venialibus ardor concupiscentiae ita convalescit et fervor charitatis ita tepescit, ut, insurgente gravi aliqua tentatione, anima, ad consensum pravior quam ad resistendum parata, succumbat. (S. Thom. 1. 2. qu. 88. a. 3 et 4.)

QUAER. 2^o *An graviter peccet, qui proponit non vitare venialia, sed sola mortalia.*

Resp. Probabilius negandum, secluso contemptu formali, vel periculo proximo labendi in mortale, puta in materia venerea; quia eiusmodi propositum remote tantum conducit ad mortale. (*Lib. 4. n. 12.*)

Nota. Advertendum denique circa peccata venialia: 1^o Non plene satisfacit muneri suo confessarius, qui nihil curat de peccatis venialibus plene deliberatis arcendis, ubi nimirum fructus speratur.

2^o Peccatum veniale ex praecepto positivo aut ex periculo amovet rationalis causa. (*Lib. 6. n. 375. dub. 2.*)

CAPUT IV.

PECCATUM COMMISSIONIS ET OMISSIONIS

240. — Peccatum commissionis consistit in positione actus vetiti; peccatum vero omissionis in omissione actus praecepti. Nihilominus hoc posterius peccatum practice saltem semper requirit actum positivum et deliberatum voluntatis quo voluntas aut directe aut indirecte fertur in omissionem. Directe in eam fertur, si est obiectum voluntatis; indirecte si sequitur tantum ex positione actus cum opere praecepto impossibilis. Cfr. S. Thom. 1. 2. qu. 71. a. 5; Frins. I. l. c. n. 202. *sequ.*

Ex his deducuntur sequentia circa peccatum omissionis: 1^o Actus ille, qui est *causa* externa omissionis, vitiatur ex omissione, etiamsi in se sit bonus vel indifferens; at inficitur malitia *ipsius omissionis*, cui perpetranda causam dedit, et hac ratione actus ipse non est explicandus in Confessione. Unde, si quis ex affectu ad ludum omittit Sacrum, ludus est malus, sufficit tamen dicere in Confessione se Sacrum omisisse. Item si actio aliunde quoque grave peccatum sit, v. g. quis Sacrum omittit ut furetur, furtum potest dici in Confessione seorsim ab omissione Sacri; quia furtum non est nisi circumstantia aggravans omissionem, non autem mutans speciem eius. (*n. 10.*)

2° Actus, qui non est omissionis causa sed illam tantum *concomitatur*, nisi aliunde malus sit, non vitiatur ex omissione, nec proinde peccatum est; unde si quis ludit dum Sacrum omittit, ludus non est peccatum. (n. 10.)

3° Omissionis peccatum tunc incipit imputari, quando quis causam omittendi voluntarie ponit; consummatur autem dum expirat tempus faciendi actionem praeceptam. Quare peccat, etiamsi postea, dum urget praeceptum, impotens sit illud implere; nisi, antequam effectus sequatur, malam voluntatem retractet; tunc non iam peccaret omissionis actu, sed solo proposito, et consequenter hoc solum confiteri tenetur. (n. 10.)

4° Omissio operis praecepti, quamvis consummetur in statu impotentiae, est verum peccatum in se, non in causa tantum. Recole dicta n. 59 in fine.

5° Quicumque negligit scire vel facere id quod potest et tenetur scire vel facere, peccat peccato omissionis. Unde propter negligentiam, ignorantia eorum quae quis scire potest et tenetur, est peccatum. (S. Thom. 1. 2. qu. 76. a. 2.)

CAPUT V.

PECCATA INTERNA

Agendum primo de peccatis internis generatim; deinde seorsum de desiderio, de gaudio et de delectatione morosa.

Articulus I.

Peccata interna generatim.

241. — I. Notio. Peccata interna sunt ea quae potentiis animae internis perficiuntur, etsi forte effectum quemdam externum, non directe intentum, habeant, uti v. g. commotionem veneream.

II. Divisio. Distinguuntur: 1° *desiderium*, quod respicit futurum, est consensus in opus peccati patrandum. Dicitur *efficax*, quando quis proponit illud exsequi; *inefficax*, si exsequi non proponit, sed vellet si posset.

2° *Gaudium*, quod respicit praeteritum, est voluntaria complacentia in malo opere patrato.

3° *Delectatio morosa*, quae respicit praesens, est *voluntaria* complacentia in actu peccati ut praesenti cogitato, i. e. abstractione facta ab eius executione futura vel praeterita.¹⁾ — Dicitur *voluntaria* complacentia; duplex enim distinguitur delectatio, una *appetitus sensitivi*, quae est cum aliqua

¹⁾ *Morosa* dicitur delectatio, non a mora *temporis*, sed a mora *voluntatis*, seu ex eo quod voluntas post plenam rationis advertentiam ei immoretur et ei consentiat, eam tenens ac volvens libenter.

transmutatione corporali; altera *appetitus rationalis*, seu voluntatis quae est *complacentia voluntatis* in aliqua re. Prior prava ac culpabilis non est independenter a consensu voluntatis. (S. Thom. 1. 2. *qu.* 31. *a.* 4. et *qu.* 74. *a.* 6. *ad* 3.)

Quaestio. *An dari possit ignorantia invincibilis circa peccata interna, ita ut quis invincibiliter credat opera tantum, non autem desideria et delectationes, esse peccata.*

Resp. Dist. Negat., quoad desideria efficacia; impossibile namque videtur quod quis sciat opus externum, v. g. fornicationem, esse peccatum mortale, et nihilominus inculpabiliter credat se non peccare dum proponit tale opus exsequi; quisquis enim deliberate vult facere actionem, quam novit a Deo vetitam, necessario agnoscit simul malam esse eiusmodi voluntatem. Neque obstat existere rudes qui prava desideria non confitentur; siquidem error eorum versatur, non circa *malitiam* talium desideriorum, sed circa obligationem *confitendi* peccata mere *interna*. (*Lib* 1. *n.* 9.)

Affirm. quoad desideria inefficacia, et delectationes morosas; credibile enim est idque experientia comprobatur, malitiam simplicis velleitatis, aut cogitationis de re mala cum delectatione habitae, non agnosci ab homine rudi.

Articulus II.

Desiderium malum.

242. — Principia. I. *Desiderium, sive efficax sive inefficax, operis mali PECCATUM EST.* Constat ex duobus postremis Decalogi praeceptis de non concupiscendis uxore bonisque proximi. Idque ratio confirmat: actus enim voluntatis moralitatem sumit ab obiecto; atqui hic obiectum desiderii malum est. Ergo.

II. *Desiderium induit OMNEM malitiam et OMNES species actus externi.* Patet ex verbis Christi apud Matth. v. 28: « Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo. » Ratio autem est, quia in desiderio voluntas amplectitur totum obiectum pravum cum omnibus suis circumstantiis cognitis; desiderium enim tendit in ipsum opus externum prout est a parte rei in externo exercitio; ergo etiam desiderium omnes actus externi malitias induit.

Notandum porro, desiderium inefficax per se non differre specie a desiderio efficaci.

243. — Quaestiones. QUAER. 1^o *An desiderium operis mali, sub conditione SI MALUM NON ESSET, sit grave peccatum.*

Resp. Dist. Negat., si *conditio apposita auferat operis malitiam*; quia tunc desiderium fertur in obiectum malitia denudatum. Id porro contingit: a) in iis, quae solo iure positivo vetita sunt, v. g. si quis dicat: *Comederem carnes die Veneris, si Ecclesia non vetuisset*; b) in iis vetitis iure naturali, quae in aliquo casu et statu licita sunt, v. g.: *Inimicum occiderem, si Deus mandaret: Feminam istam cognoscerem, si uxor mea esset.* Ceterum eiusmodi desideria otiosa et subinde periculosa sunt.

Affirm., si *conditio non auferat operis malitiam*, id quod contingit quando malitia inseparabilis est ab obiecto, v. g. *Si esset licitum blasphemare, peierare, fornicare, ulcisceretur*. Hoc tamen intelligendum est, si voluntas revera concupisceret, ideoque verum affectum voluntarium ad opus nutrirer. Alii enim putant in casu verum desiderium non adesse, praecise quia conditio adiecta impossibilis est et desiderans scit illam esse impossibilem. Quidquid sit regulariter tale desiderium magis erit significatio propensionis *naturalis*, quae per se culpa non est. (n. 13.)

Notandum tamen desiderium, quod tales actus sint liciti, grave esse peccatum; nam est optare inversionem boni ordinis naturae. Patet insuper conditionem, quae ipsam malitiam non respiciat, sed aliquam circumstantiam peccati v. g. poenam, malitiam desiderii non auferre. Sic peccatum est: *fornicare si non esset infernus: inimicum occiderem si non essem sacerdos*.

QUAER. 2^o *An liceat desiderare pollutionem PURE NATURALEM.*

Pollutio *pure naturalis* est, quae sponte provenit a natura se exonerante, nimirum prae abundantia vel resolutione seminis.

Resp. 1^o Illicitum est eam desiderare *ob delectationem*, vel quidquam *facere* eo consilio ut eveniat. *Ita omnes.*

2^o Non est illicitum *solo affectu* et *ob finem honestum*, v. g. ob sanitatem, ad naturam exonerandam, aut tentationes sedandas, desiderare ut pollutio naturaliter eveniat. Ita communiter cum D. Thoma. Ratio, quia obiectum non est malum et causa est honesta. Neque obstat pollutionem comitari tactum involuntarium aut somnium turpe; nam, eiusmodi tactus vel somnium cum naturali pollutione connaturale est. (n. 20. *Lib. 3. n. 480.*)¹⁾

QUAER. 3^o *An liceat malum optare proximo propter bonum finem.*

Resp. Affirm., si bonum illud, propter quod optatur proximi malum, praeponderat vel saltem adaequat malum, proximo optatum; quia tunc desiderium consentaneum est ordini charitatis.

Hinc. 1 Licet proximi infirmitatem, imo et mortem desiderare, ut a peccatis, a scandalis desistat. Item supplicium malefici, ad exemplum aliorum. Licet patri mortem filii optare si timeat ex eius flagitiis inhonestandam esse familiam. Imo probabiliter licet sibi mortem cupere ad evadendam vitam morte ipsa amario-rem, ex illo *Eccli. xxx. 17*: «Melior est mors, quam vita amara.»

2^o Non licet *mortem* proximi optare propter emolumentum *temporale*: quia vita potior est temporali emolumento. Quare mater non potest optare mortem filiae, eo quod non possit eam ob deformitatem vel inopiam nuptui tradere, vel quod ob illam a marito male tractetur; nec filius mortem patris eo quod post mortem huius sibi obventura sit pinguis hereditas.²⁾

3^o Demum, licet desiderare praecise bonum *effectum*, non causam; e. g. hereditatem obventuram ex morte alterius; sed res periculosa est.

¹⁾ Cfr. 4 *Sent. dist. 9. qu. 1. art. 4. sol. 1. ad 5.*

²⁾ Prop. 14. damnata ab Innoc. XI. Cfr. et prop. 13.

*Articulus III.***Gaudium.**

244. — **Principia.** I. *Gaudium, sive voluntaria complacentia in opere malo patrato*, PECCATUM EST. Ratio quia tale gaudium includit mali approbationem.

II. *Gaudium de opere malo patrato, EIUSDEM gravitatis, EIUSDEMQUE speciei est ac ipsum opus malum.* Ratio quia gaudii obiectum est opus malum patratum quod ut sic, cum omnibus eius circumstantiis, approbat.

Quaestiones. QUAEER. 1^o *An liceat gaudere de OPERE MALO ob bonum effectum inde secutum.*

Resp. Negat., etiamsi opus dumtaxat fuerit *materialiter* malum; quia obiectum delectationis, ipsum opus patratum, malum est. Quare licitum non est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter divitias inde ex hereditate consecutas.¹⁾ Nec licet gaudere de *transgressione materiali* legis positivae, v. g. de omissione ieiunii: quia in opere externo praescindi nequit a circumstantia prohibitionis, sed opus est obiective malum. Licet autem gaudere de pollutione pure naturali; quia haec non est obiective mala. (n. 20.)

QUAEER. 2^o *An liceat gaudere DE EFFECTU BONO secuto ex peccato.*

Resp. Per se licet, modo homo peccatum detestetur, quia obiectum talis gaudii non est malum. Sic licet gaudere de levamine secuto ex pollutione voluntaria, de consecutione hereditatis ob homicidium. In praxi vero huiusmodi gaudia aliquando non carent periculo. (n. 20.)

*Articulus IV.***Delectatio morosa.**

245. — **Praenotandum.** Delectatio ratione obiecti distingui potest: 1^o de *re cogitata*, quando malum opus ipsum delectat, v. g. fornicatio; 2^o de *cogitatione rei*, quando ipsa cogitatio sive cognitio rei placet, etsi ipsa res displiceat, v. g. scientia venereorum; 3^o de *modo efficiendi rem*, quando non ipsa actio mala, sed modus artificiosus aut ingeniosus eam perficiendi delectat, v. g. admirabilis dexteritas in furto vel fraude patranda; 4^o de *effectu rei*, quando non actio mala, sed effectus eius placet.

246. — **Principia.** I. *Delectatio morosa de opere malo PECCATUM est.* Cuius ratio haec est: consensus in delectationem peccati continet voluntarium seu deliberatum affectum ad peccatum; nullus enim delectatur nisi de eo quod est conforme affectui suo. Atqui deliberatus affectus ad peccatum est peccatum, uti patet. Ergo consensus in delectationem peccati est peccatum. (S. Thom. 1. 2. *qu.* 74. *a.* 8.)

¹⁾ Cfr. Prop. 15. damnata ab Innoc. XI.

II. *Delectatio morosa desumit gravitatem et speciem ab OBIECTO DE QUO QUIS DELECTATUR.* Ratio quia affectus voluntatis mensuratur obiecto. Itaque si quis delectatur de peccato veniali, est veniale peccatum, si de mortali, est mortale; si de furto, est contra iustitiam; si de actu venereo, id quod frequentius contingit, est contra castitatem, et quidem secundum infimam speciem in genere luxuriae, nisi quis de luxurioso actu omnino in genere delectetur. (cfr. infra n. 598.)

QUAERITUR: *An simplices delectationes morosae de actu venereo speciem sumant etiam a CIRCUMSTANTIIS OBIECTI.*

Resp. Valde probabilis est sententia, quae negat; delectatio enim, ut dictum est, speciem contrahit ab obiecto in quod tendit; atqui, simplex delectatio venerea non tendit in obiectum uti est a parte rei, sed in obiectum prout repraesentatur, i. e. ordinarie *in solam delectabilitatem veneream eius*, praescindendo a qualitate personae vel obiecti, quae nullam delectationem affert, v. g. a coniugio, cognatione, voto castitatis; ergo ab obiecti delectabilitate sola speciem sumit.

In praxi tamen valde placet S. Alfonso opinio, quod, licet ratione *delectationis* non contrahatur malitia specifica circumstantiarum, contrahatur tamen ob *periculum proximum concupiscendi*, inefficaciter saltem, opus malum, de quo quis delectatur. (n. 15.)

Ceterum, attentis tum probabilitate sententiae negantis, tum difficultate obtinendi a poenitentibus declarationem circumstantiarum obiecti turpium cogitationum, in quibus nullum intercessit desiderium, tum lege non descendendi in hac materia ad nimis particularia, confessarius ab eiusmodi quaestionibus absteineat, ut monet Bouvier et Martinet.¹⁾ Etiam S. Alf. in *Praxi Conf.* n. 39 omittit hanc quaestionem.

III. *Delectatio morosa de cogitatione aut cognitione rei malae non est per se peccatum.* Ratio, quia sola rei malae cogitatio aut cognitio non est secundum se mala; Deus ipse cognoscit omnia mala et omnia obscoena. Imo haec cognitio et cogitatio saepe est necessaria vel utilis, v. g. confessario aut medico. Unde licet de scientia rei obscoenae ob bonum finem gaudere, puta ad fungendum officio confessarii vel medici.

Dictum est: *per se*: quia per accidens cognitio et cogitatio rei obscoenae ex affectu veniali, puta ex curiositate, venialis erit: mortalis vero, si fiat cum gravi periculo consensus in obiectum, vel ob finem graviter malum. (n. 17.)

IV. *Eadem ratione per se mala non est delectatio de modo operandi malum, aut de bono effectu ex opere malo;* quia obiectum talis delectationis malum non est. (n. 18. 19; H. A. n. 49. S. Thom. l. c.)²⁾

247. — Quaestiones. QUAER. 1^o *An liceat delectari in obiecto sola LEGE POSITIVA vetito.*

Resp. Affirm.: saltem sine culpa gravi; v. g. in cogitato esu carnum die Veneris; quia obiectum, v. g. esus carnum mere cogitatus, abstractione facta ab

¹⁾ Bouvier. *Diss. in VI praec. cap. 4. art. 1;* Martinet. *Theol. Mor. lib. 5. art. 9.*

²⁾ Item S. Thom. 3. qu. 80. a. 8; *de Ver. qu. 15. a. 4;* 2. *Sent. Dist. 24. qu. 3. a. 4.*

eius executione, non est de se illicitum: neque ipse actus delectationis mere internae est prohibitus ab Ecclesia.

QUAER. 2° *An liceat SPONSIS delectari in copula futura, et VIDUIS in praeterita.*

Resp. Neg. si nempe, uti fieri solet, delectatio versatur in appetitu sensitivo circa obiectum praesens; copula enim, quam illi veluti praesentem sibi imaginantur, est eis hic et nunc illicita, ergo et delectatio in illa non vacat culpa.

Aliud dici posse videtur de delectatione in appetitu *rationali* sub conditione de futuro; secus enim ac appetitus sensitivus, qui tendit ad obiectum cogitatum absolute ut praesens, appetitus rationalis tendere potest ad obiectum a ratione propositum ut futurum et sub illa conditione copulam *approbare ut rem bonam ac honestam*.¹⁾ Idem valet de *desiderio* copulae in futuro matrimonio habendae; desiderium enim fertur in obiectum futurum licitum. Attamen, quia in tali delectatione rationali (quae de caetero sat raro concipitur) et desiderio adest periculum delectationis sensitivae, sedulo hortandi sunt sponsi ut non immorentur huiusmodi cogitationibus. (n. 23. 24. H. A. n. 51.)

Haec omnia aequae valent pro viduis circa delectationem et gaudium de copula habita in praeterito legitimo matrimonio, sed etiam iis cavendum periculum delectationis appetitus sensitivi.

CAPUT VI.

PECCATA CAPITALIA

Peccatum sive vitium capitale iuxta S. Thomam (1. 2. qu. 84. a. 3.) dicitur illud, ex quo tamquam ex capite alia vitia seu peccata prodeunt. Septem numerantur, scil. superbia, avaritia, luxuria, gula, ira, invidia et acedia. De quibus nonnulla disseremus.

Articulus I.

Superbia.

248. — **Notio et divisio.** *Superbia est inordinatus appetitus propriae excellentiae.* Distinguitur duplex: *perfecta*, si quis ita excellere appetat, ut Deo eiusque praeceptis subiici nolit; *imperfecta*, si quis, servata debita subiectione, se extollit.

Moralitas. 1° *Superbia perfecta est peccatum mortale, et quidem gravissimum:* nam « averti a Deo et eius praeceptis, quod est quasi *consequens* in aliis peccatis, *per se* ad superbiam pertinet, cuius actus est Dei contemptus. Et quia id, quod est *per se*, potius est eo, quod est *per aliud*, consequens est quod superbia sit gravissimum peccatorum secundum genus suum: quia excedit in aversione, quae formaliter complet peccatum. » (2. 2. qu. 162. a. 6.)

2° *Superbia imperfecta regulariter est veniale, nisi redundaret in gravem contemptum aut notabile damnum proximi. Ratio, quia non est gravis deordinatio.* (n. 65.)

¹⁾ Cfr. Merkelbach I. n. 454.

Filiae superbiae sunt tres: 1^o *Ambitio*, id est, appetitus inordinatus honorum vel dignitatum, ad quas quis non habet idoneitatem vel meritum. — 2^o *Vana* seu *inanis gloria*, quae est inordinatus appetitus *manifestationis* propriae excellentiae, quam quis vel reapse habet, vel habere putat, ad captandam humanam laudem. — 3^o *Praesumptio*, quae est inordinatus appetitus aggreudiendi aliquid supra vires.

Ex vana gloria alia septem vitia sobolescent, nempe inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia et novitatum ostentatio. (cfr. n. 66. 67; S. Thom. 2. 2. qu. 132. a. 5.)

Remedia sunt: consideratio propriae infirmitatis, vanitatis gloriae humanae, humilitatis Christi, poenae superbiae et praemii humilitatis.

Articulus II.

Avaritia

249. — Notio et moralitas. *Avaritia est inordinatus appetitus divitiarum.* — Per se opponitur *liberalitati*: per accidens opponi potest alii virtuti: v. g. iustitiae, cum quis bona acquirit vel retinet contra iustitiam; pietati, dum quis nimis parce alit familiam; charitati proximi, cum congruas elemosynas non erogat. Si opponitur tantum liberalitati, *ex toto genere suo veniale* est; si per accidens alii virtuti, potest mortale evadere.

Avaritiae et liberalitati opponitur *prodigalitas*, quae est excessus in erogando. Ex genere suo veniale tantum est; mortale tamen fit ex circumstantiis adiunctis, puta si quis bona sua profundat in illicitis voluptatibus, vel cum gravi familiae suae aut creditorum damno.

Filiae avaritiae sunt: proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, violentia, et durities erga miseros.

Remedia sunt: meditatio bonorum caelestium, periculi ac vanitatis bonorum terrestrium, paupertatis Christi, turpitudinis, infelicitatis et periculorum huius vitii. (n. 68, 69.)

Articulus III.

Luxuria.

250. — Notio et moralitas. *Luxuria est inordinatus appetitus voluptatis venereae.* Inordinatus est extra usum legitimum matrimonii.

Luxuria directe voluntaria sive consummata sive non consummata est peccatum mortale ex toto genere suo; hinc solummodo ex imperfecta deliberatione peccatum veniale fieri potest. Luxuria indirecte voluntaria admittit levitatem materiae, iuxta dicenda infra n. 499. 619. 631.

Filiae luxuriae sunt quatuor a parte intellectus, videlicet: caecitas mentis, inconsideratio, praecipitatio, inconstantia; quatuor a parte voluntatis, nimirum: amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, et horror futuri.

REMEDIA sunt: oratio frequens, sensuum custodia, occasionum et otii fuga carnis mortificatio, temperantia, Sacramentorum frequentatio. (n. 71.)

Articulus IV.

Gula.

§ I. - GULA GENERATIM.

251. — **Notio.** *Gula est inordinatus appetitus cibi et potus.* Inordinatio consistit in eo quod excedat praescriptum rationis, id est, debitum modum, qui competit valetudini corporis.

Hoc autem secundum D. Thomam ¹⁾ fieri potest quinque modis hoc versu comprehens: *praepropere, laute, nimis, ardentem, studiose.* Horum tres pertinent ad *cibum et potum* ipsum, duo ad illorum *sumptionem*. Excessus priori modo fit comedendo vel bibendo pretiosiora quam decet proprium statum (*laute*); vel nimis exquisite condita et praeparata (*studiose*); vel quantitatem maiorem quam conveniat (*nimis*). Excessus in *sumptione* committitur comedendo vel bibendo extra conveniens tempus, aut saepius quam deceat (*praepropere*); vel modo voraci (*ardenter*).

Ex his colligitur non esse gulam, nec proinde peccatum, moderatam delectationem appetere ex cibo et potu, quando iuxta rationis regulam corporis refectio sumitur; quia naturae Auctor delectationem ceu invitamentum alimentis adnexuit.

252. — **Moralitas.** *Gula ex genere suo est tantum veniale peccatum:* quia immodicus usus rei licitae gravem inordinationem per se non continet. Est autem peccatum contra virtutem *abstinentiae*, si excessus fit in cibo vel potu non inebriante, contra virtutem vero *sobrietatis*, si fit in potu alcoolico.

Potest tamen fieri mortale peccatum per accidens, si quis in delectatione gulae ultimum finem constituat; quod contingere potest 1° *formaliter*, cum quis expresse illam voluptatem summum bonum iudicat; de quibus, Apostolus ad Philipp. III. 19 ait: « Quorum Deus venter est »; 2° *virtualiter*, cum quis ob gulam peccatum mortiferum admittit, ut si graviter valetudini noceret, dummodo tamen gulosus id advertat; item, si propterea praeceptum ieiunii violaret, si graviter deesset in obeundo officio suo, si se inebriaret, etc. (n. 73.)

253. — **Quaestiones.** **QUAER.** 1° *An crapula stricte dicta, hoc est implere se cibo et potu usque ad vomitum, ob voluptatem, sit peccatum mortale.*

Resp. Sunt qui affirmant. Verum probabile est id *per se*, secluso nempe scandalo aut notabili nocumento valetudinis, esse veniale tantum. *Ita communiter.*

Nihilominus, data opera evomere quod quis sumpsit, ut iterato comedere et libere possit, vix excusari potest a mortali; quia videtur magnam deformitatem contra naturam rationalem continere, et maxime opponi virtuti temperantiae. Ita multi DD. probabiliter. (n. 73.)

QUAER. 2° *Quid dicendum de esu carnis aut sanguinis HUMANI.*

Resp. Si ex mera gula fiat, videtur peccatum mortale, quum graviter repugnet, pie-

¹⁾ 2. 2. qu. 148. a. 4.

tati defunctis debita et viam pandat homicidio. Ex iusta causa licitum esse videtur, ut si quis secus fame moreretur, modo ne ideo occidat hominem. ¹⁾

254. — **Filiae gulae sunt:** in *intellectu* hebetudo mentis; in *appetitu* inepta laetitia; in *ore* stultiloquium et scurrilitas; in *corpore* immunditia.

Remedia sunt: considerare pessimos gulae effectus in corpore et anima; mortificare carnem, praesertim in cibo et potu; recordari mortem et corruptionem mox futuram. (n. 74.)

§ II. - EBRIETAS.

255. — **Notio.** Ebrietas dupliciter accipitur, ut notat D. Thom. 2. 2. qu. 150. a. 1, nempe: 1° *passive* pro defectu usus rationis, per nimium potum inducto, unde dicitur quis *ebrius*: et sic non est proprie peccatum, sed peccati effectus; 2° *active* pro ipsa inordinata potatione, quae hunc effectum efficit; sic est peccatum, et definitur: *Inordinatus appetitus et usus potus usque ad privationem usus rationis.*

Divisio. Distinguitur: a) ebrietas *perfecta*, quae ea est quam definivimus, et b) ebrietas *imperfecta*, quae non penitus aufert usum rationis.

Signa porro ebrietatis *perfectae* haec proferuntur: 1° impotem esse boni a malo distinguendi: 2° non recordari dicta aut facta in ebrietate: 3° agere omnino insolita, quae quis numquam integra mente agere solet; v. g. si turpia vel absurda protulerit aut fecerit, cum alias sit pudicus et prudens; si blasphemaverit, cum alias sit modestus et benignus.

Quod si post potum adhuc possit bonum et malum discernere, imperfecta erit ebrietas; quia discretio illa non potest cum defectu rationis consistere, etiamsi ceteroquin aliquantum turbata sit phantasia, aut vomitus sequatur, vel lingua titubet, pedes vacillent, oculi duplicia videant, ac domus gyrare videantur. Pari modo, si adhuc solita officia possit utrumque exsequi, etsi cum vertigine et difficultate. (n. 78.)

256. — **Principia.** I. *Ebrietas perfecta est peccatum mortale.* Probatur 1° ex S. Script. Isaiae: v. 11: «Vae, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam;» porro particula *vae* in Scripturis passim comminationem damnationis aeternae significat. Deinde I Cor. vi. 10: «Neque ebriosi... regnum Dei possidebunt.» 2° Ex ratione: est enim gravis inordinatio quod homo *contra ordinem naturae*, actu nempe intemperantiae, *violenter* sibi auferat tum *usum* rationis, quo nihil est in homine praestantius quoque secundum virtutem operatur et peccata declinat, tum *potestatem* proximam ea utendi: unde imaginem Dei deturpat seseque ad statum bruti redigit, et sese exponit gravi periculo peccandi lethaliter, quatenus ebrietas facile multa mala secum trahit, ut libidinem, blasphemias, rixas, gravem familiae afflictionem, liberorum neglectum, creditorum fraudationem, etc. Cfr. S. Thom. 2. 2. qu. 150. a. 2, qu. 153. a. 2. ad 2.

II. *Ebrietas imperfecta est per se peccatum veniale tantum*, ob imperfectionem actus seu parvitatem materiae. (n. 75.) — *Per accidens* vero saepenumero evadit peccatum mortale, vel ob *scandalum*, uti v. g. sacerdos in aliquibus adiunctis graviter peccaret, si semel tantum ebriosus esset

¹⁾ Cfr. etiam Génicot, I. n. 182. Contra Victoria, *Rel. theol. de temperantia.*

aut paterfamilias, si saepe; vel ob *pravum finem*, ut si quis biberet ad vehementiorem in se libidinem excitandam; vel ob *damnum* sanitati aut familiae inferendum; vel ob gravem *tristitiam* uxori, filiis, parentibus afferendam, etc. (Konings. *Theol. Moral.* n. 243.)

III. *Mala commissa in ebrietate non imputantur ad culpam, si nullo modo sunt voluntaria.* — Imputantur vero, si *praevisa fuerint, confuse saltem, ut probabiliter secutura*; quia sunt voluntaria in causa. Excipiunt nonnulli peccata *oris*: sed hanc exceptionem S. Alf. admittit tantum quoad contumelias *in homines* prolatas, quippe qua nullam contumeliam ex communi aestimatione inferre censeantur: secus vero, si *in Deum* proferantur, ut blasphemiae; quia blasphemiae, utcumque voluntariae sint, Deum inhonorant, quum blasphemiae etiam in ebrietate prolatae, adversentur *confessioni* bonitatis divinae; dein honor Dei exigit ut propter eas solas iam ebrietas vitetur.

Porro gravitas peccatorum, quae in ebrietate committuntur, accipienda est secundum mensuram advertentiae et voluntarii, quae adfuit in causa, scilicet in ebrietate. Hinc homicidium imperfecte tantum praevissum, puta si levis tantum dubitatio de eo in animum venerit et per venialem negligentiam maior consideratio fuerit praetermissa, in leve tantum peccatum imputabitur. Cfr. Lessius. *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 28; Salm. *tract.* 25. *cap.* 2. *n.* 33. (*n.* 78. H. A. *tr.* 8. *n.* 8.)

De reatu pollutionis, quam ebrius *patitur*, cfr. *infra* n. 619.

257. — *Resolutiones.* 1° Culpa vacat, qui improvise captus est vino, aut in auram exiens vento turbatus est. (*n.* 78.)

2° Non peccat graviter, qui inter bibendum iudicat se illa potione quamvis immoderata, inebriari non posse; nisi oppositum iam expertus sit.

3° Peccat graviter, qui quidem expresse non vult inebriari, sed tantum bibit quantum potest, non curans utrum ebrietas sequatur necne. — Item qui advertit se inebriandum esse si pergat potare, et nihilominus non desistit. — Item, qui ex amicitia vel urbanitate convivas invitat et urget ad haustus, quibus praevidet eos probabiliter inebriandos esse; secus autem, si liberalem potum tantum offerat, putans convivas non esse inebriandos, nec ultra convenientiae metas bibituros. — Peccant quoque graviter, qui alios ad aequales haustus provocant vel cogunt, aut se invicem obligant, sive in ebrietatem incidunt, sive illius dumtaxat periculo se exponunt.

4° Peccant graviter tabernarii, qui propter lucri cupiditatem ebriis vel ebrietati proximis potum subministrant, nam ex praecepto charitatis tenentur, quoties sine magno incommodo possunt, peccatum ebrietatis impedire.

5° Peccat graviter ille qui advertenter sumit tantam potionem, quanta est apta ad inebriandum, quamvis, antequam sensibus destituatur, somno se committat quo vini effectum effugiat, quia per accidens est quod vel per somnum vel per inebriationem sensibus privetur. (*n.* 78. 6°.)

6° Quod ad ALCOOLISMO deditos pertinet, non quidem peccant graviter *per se*, qui ex potandi habitu facti sunt potentes ad bibendum, ita ut ex largo potu non inebrientur aut qui aliquo pharmaco impediunt quominus ratio deficiat. *Per ac-*

cidens vero eiusmodi bibuli persaepe peccant graviter, nempe propter sequelas. Etenim praeter damnum familiae, malum exemplum, neglectum liberorum, quae ordinarie alcoholismus secumfert, *in ipso alcoholista* libido valde excitatur, sanitati corporis et mentis grave nocumentum infertur, paulatim sensus moralitatis et religionis omnino hebetatur. Praeterea filii alcoholistae saepius tristes effectus subeunt peccati patris et magis adhuc matris: frequenter habent vehementem inclinationem ad potum alcoholicum et ad venerea, praedispositi sunt ad affectiones neuroticas, hysteriam, melancholiam etc., quae pluries ad perfectam amentiam ducunt.

Cum insuper hoc vitium inter ea computetur, e quibus difficillime emergunt homines, omnibus mediis, tam supernaturalibus quam naturalibus, alcoholismus impugnandus est. Quapropter summopere promovendae sunt *associationes temperantiae*, uti vocantur.¹⁾ Experientia enim compertum est id genus associationes usum liquorum alcoholicorum multum restringere. Imo laudandi sunt ii, qui boni exempli gratia vel ob aliud motivum charitatis vel temperantiae, nisi potior utilitas obstet, abstinentiam totalem profitentur. At vero *obligatio* charitatis non nisi rarissime habebitur, nec in genere statui potest.²⁾

Insuper, bonum commune postulare potest, ut ipsa etiam auctoritas civilis restringat productionem, importationem, venditionem potus alcoholici.

258. — Quaestiones. QUAE. 1^o *An liceat se inebriare ad morbum expellendum.*

Resp. Nonnulli negant: quia voluntaria ebrietas est intrinsece mala. Plerique affirmant; quia iuxta eos in casu non est intrinsece mala, quum in casu desit intemperantia; et huic sententiae favet S. Thomas.³⁾ S. Alfonsus eadem approbat, si *directe* et *per se* intendatur non ebrietas, sed ille potus effectus, quo morbus expellatur; quia quando actio in se honesta, qualis est potatio, habet effectum bonum et malum, licet iusta de causa eam ponere ad obtinendum effectum bonum et effectus malus licite permittitur. (*n.* 76.)

Licitum proinde foret, v. g. in casu cholerae morbi, magnam copiam vini generosi vel liquoris bibere, ad calorem visceribus reddendum, etiamsi aegrotus praevideat se ex ea inebriandum esse.

QUAE. 2^o *An liceat inducere aliquem ad ebrietatem, ut a malo maiori avertatur.*

Resp. Controv. 1^a Sententia negat; quia numquam licet cooperari ad intrinsece malum, etsi materiale tantum.

2^a Sententia distinguit, nempe concedit pro ebrietate *materiali*, apponendo vinum fortissimum vel medicatum: qui malum materiale ex iusta causa suaderi potest; negat vero pro ebrietate *formali*: quia non licet cooperari ad *formale* peccatum alterius.

3^a Sententia probabilior affirmat, sive ebrietas est *materialis* sive *formalis*; quia suadere et inducere ad minus malum, ut impediatur maius, non est suasio

¹⁾ S. Sedes pluries has associationes tum laudibus tum indulgentiis promovit. Cfr. v. g. *A. A. S.* 15 Maii 1914. p. 247, et 12 Iunii 1914. p. 309.

²⁾ Cfr. Lehmkühl in *Linzser Quartalschrift*, 1917. p. 97 sequ. et 1918. p. 13 sequ.; Prummer O. P. *ibid.* 1917. p. 322.

³⁾ Favet huic sententiae S. Thomas in quantum adstruit principium ex quo haec conclusio recte deducitur, sc. ille potus non est dicendus immoderatus, qui congruit corporis valetudini. Ipsam conclusionem S. Thomas non admittit, quia potum inebriantem ad effectum indicatum non reputat necessarium. Cfr. S. Thom. 1. 2. qu. 88. a. 5. ad. 1; 2. 2. qu. 150. a. 3 ad. 3; 2. 2. qu. 153. a. 2. ad. 2.

mala, sed bona, cum non eo tendat ut minus malum *absolute* fiat, sed ut praeferratur malo maiori. (n. 77. *Lib. 2. n. 57.*) Cfr. *vol. I n. 379 q. 2.*

QUAER. 3^o *An liceat alicui se inebriare AD VITANDAM MORTEM quam alter ei minatur, nisi inebrietur.*

Resp. Disp. Prima sententia affirmat tum quia homo, licet non habeat dominium usus rationis, illud tamen habet in ordine ad bonum totius ac proinde potest de tali usu disponere, prout est necessarium ad totius conservationem: tum quia privatio rationis non est intenta, sed tantum permissa ex iusta causa, iacturae scil. vitae.

Secunda sententia, S. Alfonso unice probabilis, negat, quia actus ille manet actus intemperantiae, quum *proxime* non valetudini corporis conservandae inserviat, sed unice ad inebriandum tendat, et remote tantum ad periculum *extrinsecum* expellendum adhibeatur. (n. 76. *Quaeritur 2^o.*)

SCHOLION I.

De usu chloroformii

259. — De licitate usus chloroformii ad praecludendum sensum doloris sub operatione chirurgica iam nemo est qui dubitet. Et recte sane; etenim, ut docet D. Thomas, defectus rationis secundum se non est peccatum, sed secundum actum, quo quis in hunc defectum incidit: qui actus si est inordinata concupiscentia ut usus vini, erit peccatum intemperantiae ad gulam pertinens; si vero est in se licitus, et ex iuxta causa positus, defectus rationis ad modicum tempus nullum est peccatum; ¹⁾ si vero nulla adsit iusta causa, a peccato veniali saltem excusari nequit.

QUAERITUR, *an liceat uti chloroformio ad mitigandos PARTUS DOLORES.*

PRAEN. Prudens et moderatus usus chloroformii vel alius medii narcotici, ita sc. ut narcosis nec nimis profunda nec nimis diuturna sit, non videtur creare periculum infanti. ²⁾ Nec modus adhibendi narcoticum qui vocatur *chloroforme à la reine* ³⁾ nocivus est. Consistit hic modus in eo, ut in initio singulorum dolorum (sunt enim dolores interrupti) aliquid chloroformii vel chloreti aethylici ministretur, quo pro tempore illius doloris sensus minuitur, quin tamen usus rationis auferatur.

Chloroformium autem imprudenter, aut a non satis perito adhibitum, grave periculum infanti creat. Patet in hoc casu usum eius prorsus illicitum esse. Secus autem:

Resp. Dist.: 1^o *Negat.*, si dolores ordinarii sunt; quia non videtur ratio sufficiens. Dolores enim partus ordinarii ita a Deo conditioni praesenti humanae naturae iuncti sunt ut contra ordinationem divinam videatur se hisce doloribus subtrahere. De cetero, quando, uti supra dictum est, periculum pro infante non est timendum, grave peccatum non erit.

2^o *Affirm.*, si dolores *extraordinarii* sunt; quia adesse videtur ratio sufficiens. ⁴⁾

¹⁾ Cfr. 2. 2. *qu. 153. a. 2. ad. 2.*

²⁾ Cfr. Capellmann-Bergmann. *Pastoral-Medicin* ¹¹ p. 44-47; Olfers. *Pastoralmedizin* ³ p. 113. Quorum opinio mihi a quodam medico specialista, qui unice dandae narcosis incumbit, plane confirmata fuit. « *Practice* », ita ille, « pro infante non sunt timendae sequelae nocivae ex narcosis matris, modo narcosis ista non nimis profunda sit, nec nimio tempore duret ».

³⁾ Sic vocatur, quia regina Victoria ita partum sublisce fertur.

⁴⁾ Ita etiam Marc. ¹² I. n. 758; Prümmer. ^{2,3} II. n. 672; Nöldin. ¹¹ I. n. 345; Forstmann. p. 178.

SCHOLION II.

De usu morphii, opii, cocaini, etc.

260. — Usus morphii, opii, cocaini, aetheris et talium mediorum narcoticorum in exigua quantitate (puta 0.1 gram. in diem), si raro fiat, innoxius est et potius ad nervorum pacationem inservit. Idcirco eo modo licitum est v. g. ad leniendos dolores, ad somnum concitandum in infirmo insomniis laborante.

Quam maxime autem cavendum ne saepe et ordinarie fiat. Usus enim immodicus, sive in quantitate, sive in diurnitate, valde noxius est, sanitati corporis graviter nocet et omnes facultates hominis debilitat. Insuper facillime ducit ad vehementissimam morphii etc. cupidinem (morphomaniam), quae difficillime vinci potest, ita ut unicum ferme remedium sit cura eius in sanatorio. ¹⁾ Quare talis usus graviter illicitus est.

QUAERITUR, an licitus sit usus morphii ad procurandam EUTHANASIAM, i. e. placidam et tranquillam mortem.

Resp. Dist.: 1° Ope morphii solum dolores lenire, ita ut non auferatur usus rationis, licitum est.

2° Usum rationis omnino auferre, sed ad tempus tantum, non videtur illicitum, saltem si dolores magni sint.

3° Usum rationis omnino auferre, ita ut moribundus sopitus decedat, certo non licet a) si paratus non sit ad mortem christianam, b) si fit contra seu praeter ipsius moribundi voluntatem. — Licitum videtur, si secus in periculo esset denuo graviter peccandi. — Secus autem disputatur. Multi negant id licere; ²⁾ ratio eorum est, quia adesset abbreviatio quaedam vitae spiritualis, quae tunc maxime necessaria sit. Alii ³⁾ autem, quibus potius adstipulamur, id licitum putant, si dolores vehementes sunt. Ratio, quia non formaliter, sed gradu tantum differre videtur a casu aegroti qui chloroformio utitur ad non subeundos operationis dolores; huius enim etiam vita spiritualis aliquomodo abbreviatur. Quare si unum licitum est, et alterum permitti posse videtur.

Nihilominus, praxis illa omnino dissuadenda est, tum quia aegroti aufertur occasio multum merendi et pro peccatis satisfaciendi, tum praesertim, quia ex praxi divulgata pessimae sequelae oriturae sunt.

Articulus V.

I r a .

261. — Notio. Ira est inordinatus appetitus vindictae et nocementi alieni: quae cum perseverat, fit odium. Inordinatio autem ista potest existere: 1° a parte modi irascendi, ut si quis nimium excandesceret interius, vel nimium exterius id patefaceret signis; 2° a parte obiecti, ut si quis

¹⁾ Capellmann. p. 42; Olfers. p. 114.

²⁾ Marc. ¹⁸ I. n. 761; Lehmkuhl. I. 892; Noldin. ¹⁷ I. p. 349.

³⁾ Prümmer. ^{2,3} II. p. 672 et praesertim Wouters in N. K. St. 1912 p. 348-352.

vindictam appeteret vel immeritam, vel ultra meritum, vel praeter legitimum ordinem, id est, sine legitima auctoritate, vel ex malo animo, puta ex odio.

Si quis autem appetat iustam vindictam seu punitionem, et cum ordinato animi motu, ita non est peccatum, sed est laudabilis, emanans ex zelo boni, ut patet in Superioribus irascentibus culpis subditorum, et in Deo irascente peccatis hominum.

Moralitas. *Ira* 1^o *inordinata a parte modi irascendi, ex genere suo est veniale peccatum:* cum non sit gravis inordinatio; quamvis possit fieri ex accidente mortale, ut si adderentur blasphemiae, imprecationes, scandala; — 2^o *inordinata a parte obiecti, est ex genere suo mortale peccatum:* siquidem opponitur charitati et iustitiae; veniale igitur fit propter imperfectam deliberationem vel levitatem materiae. (n. 79. S. Thom. 2. 2. qu. 158. a. 2 et 3.)

Filiae irae sunt: in corde indignatio et tumor mentis; in ore clamor seu confusa locutio, blasphemia, contumelia et maledictio; in opere rixa seu privata pugna.

Circa duas ultimas notare iuvat: 1^o *Maledictio* in homines, ex odio vel vindicta, ut sit peccatum mortale, tria postulat, nempe ut malum optatum sit *grave*, optetur *vere*, et cum *plena deliberatione*. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 76. a. 3. — 2^o *Rixa*, si modum non excedat, erit veniale peccatum; mortale vero, si progrediatur ad gravem laesionem. Culpa communiter attribuenda est incipienti rixam; alter enim potest se defendere cum moderamine inculpatae tutelae. (n. 80-83. S. Thom. 2. 2. qu. 41. a. 1.)

Remedia irae sunt: consideratio damnorum eius; meditatio mansuetudinis Christi; non agere nec loqui in motu irae; eius motus statim reprimere; exercere actus patientiae; frequens oratio etc.

Articulus VI.

Invidia.

262. — **Notio.** *Invidia est tristitia de bono alterius, quod apprehenditur ut malum proprium, prout est diminutivum propriae excellentiae.*

Invidia non est: 1^o quum aliquis dolet de bono alterius, in quantum ex eo timet nocumentum sibi vel aliis; 2^o quando tristatur, non eo quod alter bonum habet, sed eo quod sibi deest bonum illud, quod alter habet: hoc proprie est *aemulatio*; 3^o si tristatur de bono alterius, in quantum ille, cui accedit bonum, est eo indignus; et hoc est *indignatio*; 4^o cum dolet de bono alterius, quia malum illi optat; et hoc est *odium*. Tum vero invidia est, cum quis tristatur de bono alterius, quatenus alter antecellit ipsum in bonis: quod invidens aestimat ut malum proprium, in quantum est diminutivum propriae excellentiae. (n. 72. S. Thom. 2. 2. qu. 36. a. 2.)

Moralitas. *Invidia est ex genere suo peccatum mortale.* Constat ex eo, quod ab Apostolo ad Galatas v. 21 inter opera illa enumeratur, quae a regno Dei excludunt; et ex ratione, quia adversatur charitati, quae gaudere solet de bono alterius, quod invidia destructum exoptat. Quod si invidia est de bonis *spiritualibus* proximi, est gravissimum peccatum in Spiritum Sanctum, quod vocatur invidia *fraternalis charitatis*. (n. 72. S. Thom. *loc. cit.* a. 3.)

Filiae invidiae sunt: odium, detractio, susurratio (de quibus alibi sermo erit), gaudium in adversis proximi, et afflictio in prosperis eius.

Remedia sunt: consideratio malorum ex invidia provenientium, officia charitatis erga proximum, frequens oratio, humilitatis exercitium. (n. 72.)

Articulus VII.

Acedia.

263. — **Notio et moralitas.** Acedia dupliciter accipi potest, nempe: 1^o ut vitium **GENERALE**, et sic est quodvis taedium seu fastidium de bonis *spiritualibus*, et inde animi languor in exercitio virtutum, ob laborem seu molestiam et difficultatem adiunctam. Sic sumpta est vitium generale, quia omne vitium refugit bonum virtutis oppositae, estque contra illam virtutem, cuius actus refugit. Ex genere suo veniale peccatum est; fit tamen mortale, si ob acediam omitatur exercitium virtutis sub mortali praeceptum. Quod si, stante taedio pure naturali, virtus perfecte exerceatur, meritum augebit.

2^o Ut vitium **SPECIALE** et peccatum **CAPITALE**, et sic est *tristitia et taedium de bono divino*, i. e. de Deo eiusque amicitia, apprehensa ut mala propter difficultatem illius obtinendae et conservandae per laboriosa virtutum exercitia, et voluptatum illicitarum fugam: unde fit ut quis amicitiam illam non curet, sed fugiat. (S. Thom. 2. 2. *qu.* 35. a. 2.) Est ex genere suo peccatum mortale; quia graviter repugnat charitati Dei, cum contineat directam aversionem a Deo.

Filiae acediae sunt: malitia, id est, odium boni; rancor, id est, indignatio adversus eos, qui a peccatis absterrent et ad bonum impellunt; pusillanimitas, desperatio, torpor et evagatio mentis.

Remedia sunt: frequens oratio, meditatio laborum ac Passionis Christi et Sanctorum, brevitatis laborum, aeternitatis praemiorum etc., pia lectio, frequens Confessio et Communio, etc. (n. 84.)